

jungit sapientium & intelligentium, quia nec sapientia nec intelligentia contrariatur cruci Christi; quoniam vero non adversatur: Sed sapientia sapientium (hoc est, ut utuntur illâ homines habentes illam) & similiter intelligentia intelligentium (hoc est ut utuntur illâ homines habentes illam) qui vocantur in mundô sapientes & intelligentes, est quæ contrariatur Euangelio, est quam perdit & reprobât Deus. Nulla enim Philosophiæ, aut scientiæ pars contrariatur secundum se Euangelio ratione dictâ: quia nullum verum contrariatur alteri vero: Scientiæ autem sunt secundum se veræ, & Euangelium est verum: sed præsumptio hominum ad extendendum propositiones & media extra proprios limites contrarietatem parit veritati fidei Christianæ. Atque hanc esse divi Pauli mentem confirmat, quod de stylô suô dicendi ipse adjungit, quando ait Cap 2. vers. 4. *Suam orationem & prædicationem non versatam fuisse in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis; & vers. 13. Se loqui non sermonibus, quos docet humana sapientia.* His enim vanam Doctorum apud Corinthios eloquentiam perstringens, atque carpens, docet se in verâ ac salutari tradendâ doctrinâ non usum fuisse pompâ verborum, dicendi ambagibus, sermonis grandiloquentiâ, & oratorum flosculis ac pigmentis, quibus, ut sua erronea dogmata persuadeat, & pro veris credulis obtrudat, opus habet sapientia humana atque apparens, ut superiùs etiam à nobis annotatum. Atque sic, hæc loca sententiæ nostræ nequaquam officere, satis superque ostensum esse autumamus.

4. Venimus itaque filium Apostoli sequentes, ad locum, quem non tantum Theologastri, sed etiam gravissimi Theologi passim in ore habent, & Philosophiæ æstimatoribus, ac propugnatoribus continuò objiciunt, tanquam nodum indissolubilem, atque inextricabilem. Occurrit autem ille cap. 2. vers. 14. & sic habet. *Animalis homo non est capax eorum, quæ sunt spiritus Dei: sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur.* Ex hoc locô confici posse putant, Philosophum atque sapientem esse incapacem rerum spiritualium: Nam per *ἄθρονον ψυχῶν*, quod *hominem animale* vertunt, Apostolum designare contendunt, hominem, nullâ aliâ cognitione præditum, quàm quæ lumine Naturæ debitis adminiculis instructô, acquiri potest. Unde etiam Theologi, qui jussu Præpotentium fœderati Belgii Ordinum S. Literas in vernaculum transtulerunt sermonem, vocem *ψυχῶν* *naturalis* interpretati sunt; quamvis in annotationibus ad marginem appositis propriè *Animalis* significare concedant. Sed falluntur omnes: Nam præterquam quòd vocula *ψυχῶν*, tam apud sacros quàm profanos authores, nunquam per vocem *naturalis*, sed semper *animalis* interpretanda sit; non hic loquitur Apostolus de homine, qui tantum naturali lumine veram veri atque boni sibi comparavit notitiam: cùm

NON